

§. 41.

Vegetatio *sylvestris*, quæ vegetationi campestri et colli-
 linæ contraria habetur, in eo præcipue differre videtur,
 quod, cum neque ventus penetrare sylvas, neque solis æstus
 ardere, neque latices possint adimere terræ tempestates:
 vegetabilia in sylvis tenuiora, et quia illic tranquilla omnia,
 laxa et tamen erecta fieri animadvertuntur. In sylvis igitur
 plus est humoris, caloris autem minus, quam in apri-
 co. Itaque plantæ in sylvis succosæ et tamen exiles, for-
 mandisque foliis potius quam fructui aptiores. Nam hic
 quoque regula valet, de qua supra diximus, ut, quo plus
 tribuitur foliis, tanto magis detrahatur fructibus.

§. 42.

Exempla vegetationis sylvestris. *Arundo sylvatica* β.
chalybea t) in sylvis humidis umbrosis, unde panicula laxa,
 folia latiora etc. (Læst. V. A. H. 1825.) *Arundo lappo-
 nica* β. (Wahlenb. Fl. Sv.) in sylvis. *Poa alpina* β. *lappo-
 num*; *Poa sudetica* β; *Poa nemoralis* α.; *Triticum repens* β.;

t) Mea specimina ex Angermannia superiore certe *A. laponicæ* proxi-
 ma; nam et pilis copiosis, corollam subæquantibus prædita sunt, et ca-
 lycibus obtusioribus. In *Arundine sylvatica* penecillus adest ad ba-
 sin corollæ brevissimus. Ceterum in sylvis humidis atque umbrosis
 habitabant, nec "in locis siccissimis" ut Wahlenb. in Fl. Sv. dicit.